



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Rebus Gestis Beati Aloysii Gonzagæ E Societate Iesv**

**Marchetti, Annibale**

**Florentiæ, 1687**

Capvt III. Florentiam a patre ductus Votum Virginitatis concipit, eique custodiendæ, Divinis licèt adiutus præsidijs, humana nulla prætermittit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43962**

## CAPVT III.

*Florentiam a patre ductus Votum Virginitatis concipit, eique custodiendæ, Diuinis licet adiutus præsidijs, humana nulla prætermittit.*



Nter hæc Ferdinandus a Tunetanâ expeditione Castilionem reversus, Aloysium octauum iam agitantē annū longè alium reperit, ac digrediens reliquerat: nam antiquo illo militari feruore cum pueritiâ posito, totum se ad Christianæ modestiæ normam composuerat. Quia verò modestia, uti arborum poma, quò minùs acrimoniæ, eò plus maturitatis in agendo prodiit; licet acerbello militem deperdidisse non nihil doleret; plus tamen gavisus est, maturum in pace principem, quem subiectis sibi populis Rectorem relinqueret, inuenisse. At generosæ indolis adolescens alia omnia per id tempus meditabatur. Altius enim quoddam Virtutis & gloriæ

Posito mi-  
litiæ stu-  
dio altiora  
perit .

riæ genus in reliquam ætatem , ut & matri ali-  
quando aperuit, iam tum spectabat . Cum enim  
illa sæpesæpius in sermone familiari Aloysio  
inijceret , nihil sibi optatius fore , quàm si unū  
quempiam e suis liberis Deo in religiosâ aliquâ  
familiâ dicatum cerneret ; hoc idem aliquando  
iteranti in aurem dixit : Arbitror , Mater, fu-  
turum , ut olim Deus votis tuis tandem exora-  
tus annuat : cumque iterum eadem vota die al-  
tero protulisset mater, addidit Aloysius : Eum-  
que , quē exoptas , præsentē videre te censeo :  
quibus pueri dictis , ne a matre tanq̃ a puerilia  
contemnerentur, fidem faciebat matura ac pro-  
pemodum senilis agendi ratio in res divinas  
semper intenta , & religiosæ Cænobitarum vi-  
tæ aptè proludens .

Ferdinan-  
dus Lucā  
ad balneas  
proficisci-  
tur .

Interea Genitor , dum gravibus articulorum  
doloribus pressus , Medicis authoribus , ut ad  
aquas Lucenses pergeret, eò cogitat , atque ad  
iter accingitur ; in animum inducit, reluctante  
licet , ac frustra in lacrymas effusa coniuge ,  
duos filios , Aloysium natu maximum , & Ro-  
dulphum ætate proximè minorem , secum per-  
ducere , eo consilio , ut in reditu Florentiam  
digressus , apud aulam Francisci Medicei Ma-  
gni Hetruriæ Ducis , quòcum vetus ei inter-  
cesserat necessitudo , illos relinquere ; idque ut  
unâ

unâ eâdemque operâ tam honestam necessitudinem foveret, & nati linguam hetruscam, atque eius populi mores pari cum linguâ elegantiâ præditos addiscerent. Igitur Lucam profectus, ibique balneis adhibitis Florentiam cōtendit, quò cum venisset, rectâ ad Francisci Ducis ædes una cum filijs decorè ornatis sese contulit, easque ingressus perhonorificè iuxta ac peramanter pro veteri consuetudine a Francisco excipitur, multisque verbis officij plenissimis ultrò citroque habitis, Ferdinâdus filios illi in obsequium obtulit, dicavitque: quos ut vidit Franciscus egregiâ liberalique formâ magnam indolem præferentes, libens accepit, nihilque cunctatus iubet illis in aulâ locum parari pro dignitate. Verùm quia Pater eò filios adduxerat, ut latinas litteras simul cum Hetruscis, alijsque bonis artibus edocerentur; non multo post tempore, impetratâ a Principe veniâ, alibi sedem extra aulam filijs conquistavit: cumque

Aloysius  
M. Duci  
sistitur.

Hæc domus ad euntibus a via Pergulæ monaster. Camaldulensium, tertia ad dexteram occurrit.

morum magistrum, quem & humanioris disciplinæ Doctorem esse voluit, præterea Domus Præfectum, Cubicularium, & reliqua servitia assignasset, in proprias terras remeavit. Biennium ipsum unâ cum Rodulpho fratre Aloysius Florentiæ est commoratus, tantosque ibi in rerum æternarum studio progressus fecit,

Florentia  
Aloyfio sã  
ãtioris vi-  
tæ parens.

ut Florentiam sanctioris vitæ parentem vocita-  
re consueverit. Festis tantum diebus in aulam  
feriatus veniebat, profestos reliquos litteris da-  
bat. Interea etiam iuuenilibus ludis, quò mo-  
rum Magistro potius quam genio obsequeretur,  
quandoque indulgebat, animo tamen semper  
alieno, & seria inter iocos meditante. Quâ de  
re Eleonora Medicea Mantuæ Dux memorare  
solita erat, Aloysium, quoties ab se & Mariâ  
sorore (quæ deinde Gallico diademate claudit)  
puellarem tum ætatem agentibus, ad secum in  
hortos animi causâ lufitandum, inuitaretur,  
respondere solitum, se lufibus, ac voluptatibus  
eiusmodi minimè capi, verum libentiùs aras  
Deo instructurum, alijsque talibus pietatis ope-  
ribus quibus otium non opera luderetur, vaca-  
turum. Quod responsum, quanti fieri deceat,  
ijs æstimandum relinquimus, qui non amicos,  
usque ad aras, pro veteri amicitia regulâ,  
sed eâ peruersâ, aras usque ad amicos colunt:  
illas nimirum, & quidquid sanctissimum, ac reli-  
giosissimum fuerit, cuiuslibet vel vulgaris amici  
interuentu deserendo, atque adeo violando.

Scilicet oc-  
cupatus  
Deip. Vir-  
ginis amo-  
re.

Occupaverat scilicet Aloysij pectus rerum divi-  
narum ac præsertim castissimæ Deiparentis a-  
mor eximius, sic prorsus, ut etiam Virginum  
in regias coniuges pubescentium, eamque spem  
iam-

iamtum explicantium inuitamenta, Dei, Deiparæque amore, contemneret. Eâ verò erga Virginẽ caritate flagrabat, ut ubi in eius mentionem inter loquendum incideret, vel facta præclara animo contemplaretur, euestigio, mutatâ oris specie, cælestis iucunditatis vi quodammodo ardere & colliquescere videretur. Excitauerat autem plurimum huiusmodi caritatem cum Civitas Florentina in Deiparæ cultum maximè prona; tum etiam libellus quidam a Gaspare Loarte Societatis nostræ Præsbytero de Rosarij Mysterijs inscriptus, nec ita pridem vulgatus: quem libellum cum aliquando intentè perlegeret, vehemens eum cupido incessit, præclarû, atque eximium aliquid peragendi, quo tantæ Virginis gratiam ac patrocinium demereretur: cumque animo agitaret, quâ maximè in re ei gratificari posset, illud in primis occurrit, nihil Virgini gratius futurum, quàm, si eius documenta sequutus, suam Deo virginitatem concepto voto in perpetuum obligaret. Quare ad sacram Deiparæ ab Angelo salutatæ imaginem summâ religione Florentiæ obseruatâ contendens, ibi post humiles & longas preces perpetuæ Virginitatis voto sese obstringit. Id verò votum tam sanctè in posterum coluit, ut non modò nihil unquam in eâ

Gasparis  
Loartis li-  
bellus de  
B. V. peru-  
tilis.

Virginitatis voto se obstringit

re, ne leuiter quidem, offenderit; verum, ut a Roberto Bellarmino, Hieronymo Plato, aliisque, qui ei a sacris Confessionibus fuere, proditum est, sancti Adolescentis corpus nec ullo vel minimo libidinis motu in omni vitâ concitum fuit, nec mentem ulla unquam obscæna cogitatio inuasit, sædaveritque: Quod tam ingens beneficium ne in sanctissimos quidem, eisdemque Christianæ pietatis principes viros Paulum, Hieronymum, Benedictum, aliosque complures collatum legimus. Quin Paulus, tametsi iterum ac tertio Deum, quam studiosè potuit, rogauerat, ut ab se carnis stimulos depelleret; id obtinere minimè valuit. Hieronymus verò haud aliter, quam validis correpti lapidis ictibus impuras cogitationes ex anno ceteroqui pectore excussit. Nec ante Benedictus, aut Franciscus eâ peste caruere, quam ille in vepribus nudatum corpus, hic semel in nivibus, semel in prunis volutasset. Eò etiam Bernardus adhuc adolescens nudum se mento tenus hyberno ac frigidissimo tempore in stagnum inersit, quò nimirum aquis illis impuras flammæ restingeret. Denique nullum legere memini, qui florente adhuc ætate omni prorsus libidinis sensu motuque, nisi post diuturnas preces, & magnos corporis cruciatus, vacaverit.

Ne-

Nulla corporis aut mentis impuritate tentatur.

Neque verò id atsequutus credendus est Aloysius beneficio stupidæ cuiusdã naturæ, aut frigidioris, quàm ut libidinis facibus succendi posset; siquidem, præterquã quod glacies ipsa vel maxime obdurata tartareo hoc admoto igne liquefcant necesse est; ij omnes quibuscum familiaritatis usu coniunctus vixit, acri illum fuisse ingenio, ac præferuidã corporis constitutione, produunt. Quare ita nobis persuasum velim, uti etiam Aloysio fuisse constat, tam eximium virginalis pudicitie donum non aliunde, quàm a virginum Parente Mariã sponte in Aloysium profectum, qui idcirco semper eam loco parentis coluit, & quacumque in re opus esset, paratum sibi perfugium habuit.

Vt tamen optimus Adolefcens illibatum pudicitie florem seruet, plurimum diligentie in eo posuit, acrem ut illi sepem, suis rigentem spinis, belluis abigendis aptam, circumdaret. Fuit enim semper cum in improborum comprimendã audaciã acer ac rigidus, tum in sensu, atque oculorum præsertim, custodiã tam vigil ac diligens, ut nihil supra. Nunquam nisi palpebris modestè demissis in publico versabatur. Quin & publico maie creditam formam puerilem ratus, eo, ut maxime potuit, semper abstinuit, haud ignarus non secus in hac cum ho-

stibus

Pudicitie  
donum a  
B. V. pro-  
fectum

Humana  
ad id ser-  
uandum  
præsidia.

Sensuum  
custodia



sibus tartareis pugna, atque in alia quâlibet,  
 quem que, ut promptissimus sit, ita facillime pe-  
 ti. Mulierum verò congressus, quin & conspe-  
 ctum & præsentiam tanto studio vitabat, ut  
 ei cum illis naturale quoddam animi diffidium  
 inesse videretur. Hinc dum Castilione morare-  
 tur, si quando (uti affolet) Mater ad eum unâ  
 quampiam ex nobilioribus rœminis, quarum  
 ministerio utebatur, rei alicuius nuntiam, al-  
 legasset; is semiapertis ianuarum foribus, atque  
 oculis humi defixis, breviter responsa dabat,  
 atque ab se, nec ingressu, nec aspectu permis-  
 so, properè dimittebat. Imò, quod omnem  
 videtur fidem prætergredi, ne Matris quidem  
 alloquium, remotis arbitris, ferre consueverat:  
 Sed si fortè, ceteris dilapsis, in solo aliquo lo-  
 co cum eâ remaneret; statim virgineo quodam  
 rubore suffusus causas abeundi captabat. Ipsâ  
 quoque mulierum umbrâ deterreri puer, haud  
 sanè pueriliter, videbatur. Cum enim nesciò  
 quid lusus æquales sui inticuisissent, ubi, quisquis  
 aberraret, pignori aliquid traderet, quod non  
 nisi datis pænis posset redimere: cumque Aloy-  
 sio pignus recepturo iniunctum esset, ut puel-  
 lule astantis umbram a lucernâ in parietem  
 porrectam osculo appeteret; ille pudore pri-  
 mum, mox iracundiâ succensus, relicto pigno-  
 re,

Mulierum  
fuga.

Nec matrē  
alloqui so-  
lus susti-  
net

Muliebrem  
umbram  
horret.

re, sese euestigio proripuit, nec amplius eiusmodi lusionibus unquam indulgere animum induxit. Constat præterea aliquas primarias foeminas sanguinis propinquitate ceteroqui coniunctas illi de facie perpetuò fuisse incognitas, licet sæpè ante oculos obuersarentur. Rogatus verò, ecquid tandem causæ esset, cur tantopere foeminarum, quin & Matris conspectum averfaretur? ille, ne studium virtutis palàm faceret, naturalem sui animi repugnantiam excusavit. Hinc etiam pacto inter ipsum ac Patrem conuenerat, ut ne operâ suâ ad mulierû congressus abuteretur, ceterum in reliquis omnibus presto futurâ. Quamobrem sæpe per iocum a Domesticis eius rei conscijs,

*Hostis foeminarum*, laudabili, cunctisque adolescentibus optabili conuicio vocabatur.

Hostis foeminarum appellatur



CeA.